

derit. Posteriori casu, *si dolus incidit, contractus subsistit,* & hinc dolus non purgatur querela nullitatis, sed vel actione ex ipso contractu, v. g. emti venditi, locati conducti, &c. vel si res adhuc integra & traditio nondum secuta est, exceptione doli, quæ non a Prætorum demum danda, sed quæ b. f. judiciis iam citra Prætoris auxilium inest, Lauterbach *comp. jur. de dol. mal.* Huber *prælect. ff. eod. n. 4.* aliique *ad d. t. add.* Celsus Bargalius *de dolo l. 2. diuis. 5. n. 2.* Ergo, si contractus non est nullus sine, dubio eo mediante dominium in alterum transfertur & hinc transferenti rei vindicatio non competit.

§, XIV.

Pro adstruenda hac opinione diuersos textus adducunt, quos integros adponere utile erit. Ex *l. 7. pr. ff. de dol. mal.* huc pertinent sequentia: hoc enim sic accipimus, *carere dolo emtorem, vt ex emto teneri non possit, aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus est.* Hic textus, inquiunt, contractum tunc solummodo nullam esse dicit, si dolus causam dedit, ergo aliud dicendum, si incidens est, quod præterea liquido constare existimant ex *l. 11. §. 5. ff. de act. emt.* ubi Ulpianus: *si quis virginem se emere putasset, cum mulier venisset, & sciens errare eum venditor passus sit; redhibitionem quidem ex hac causa non esse, veruntamen ex emto competere actionem ad resoluendam emtionem & pretio restituto mulier redatur.* Item ex *l. 13. §. 4. & 5. ff. eod. si venditor dolo fecerit, ut rem pluris venderet, puta de artificio mentitus est, aut de peculio: emti eum iudicio teneri, ut præstaret emtori, quanto pluris seruum emisset, si ita peculiat*
tus